Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6806
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



numeri

Deuteronomij

91

Accesserunt autem et principes familiarum galaad filij machir filij manasse de stirpe filiorum ioseph locuti sunt moysi coram principibus israel atque dixerunt domino precepit dominus ut terram sorte tuderes filiis israel: et ut filiabus salphaad fratris nostri darentur possessione debita patri: quas si alterius tribus homines uxores acceperint sequetur possessio sua et translata ad aliam tribum de nostra hereditate minuetur: atque ita fiet ut cum iubileus id est quinquagesimus annus remittendis adiecerit accedat sortem distributionis et alioz possessio ad alios transeat respondit moysses filios israel ex dei sententia ait recte loquuntur filiorum ioseph loquuta est hec lex super filiabus salphaad a deo promulgata est. nubant quibus voluerint tantum ut sue tribus homines: ne commisceatur possessio filiorum israel de tribu in tribum. omnes enim uxori ducent uxores de tribu et cognatione sua et cuiuscumque femine de eadem tribu maritos accipiet ut hereditas permaneat in familiis nec sibi misceantur tribus sed ita maneat ut a deo separate sunt. fecerunque filie salphaad ut sibi fuerat imperatum et nupserunt malaa et thersa et egla et melcha et noa filiis patrui sui de familia manasse qui fuit filius ioseph et possessio que illis fuerat attributa manet in tribu et familia patris earum. hec sunt mandata atque iudicia que mandauit dominus per manum moysi ad filios israel in campestribus moab supra iordanem contra iericho. Explicit liber numeri

Incipit helleadabrim qui Deuteronomij dicitur

Hec sunt verba que locutus est moyses ad omnem israel trans iordanem in solitudine que est in campestri contra mare rubrum inter pharan et thophel et laban et aseroth. habet autem plurimum iudee diebus de oreb: per viam montis seir usque cadesbarne. Et quadragesimo anno undecimo mense prima die mensis locutus est moyses ad filios israel omnia que preceperat illi dominus ut diceret eis postquam percussit seon regem amoreorum qui habitauit in esebon et og regem basan qui manet in astaroth et in edrai trans iordanem in terra moab. Cepitque moyses explanare legem et dicere Dominus deus noster locutus est ad nos in oreb dicens Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis. Reuertimini et venite ad montem amoreorum et ad cetera que ei premina sunt campestria atque montana et humilia loca contra meridiem et iuxta litus maris: terram chanaanorum et libani usque ad flumen magnum euphraten. En inquit tradidi vobis ingredimini et possidete eam sicut iuramento dominus patribus vestris abraham ysaac et iacob: ut daret illis eis et semini eorum post eos Dixique vobis illo in tempore. Non possum